



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Mores, non opes, in futuro coniuge spectandos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

utrique parti consuluisse. Hac enim socia, & illum excitatum iri; & hoc marito, istam non futuram insolentem. Sic nimirum sæpe dissimiles convenire solent, ut vxor viro sit pro industria stimulo: & vir vxori pro modestiæ freno.

## II.

Porrò in matrimonijs, si, non quid spectari soleat, sed quid spectari debeat proponamus, mores utique sunt diuitijs anteferendi. Apud improvidos, apud quos *Virtus post aurum sequitur*, quæcunque bene dotata est, bene est & morata. Itaque opulenta eligitur, quæ, vno anno, dotem omnem, matrimonium omne in superbiis vestium impendit; cum sponsa inops, sed bene morata atque laboribus assuefacta facile peculium industria collegisset. Diuina ergo æquitas, cum videt potius animi, quàm marsupij dotes quæri, non rarò vtrumque confert: sicut vtrumque subducit, quando pecunia magis desideratur, quàm sponsa.

## III.

S. Damascen.  
in histor. de  
reb. gestis SS.  
Iosaphat &  
Barlaam c. 16.

Narrat D Damascenus, dirissimos parentes filium habuisse, cui ut pares nuptias apparerent, nobilissimi item atque ditissimi viri filiam nuptui dare statuerant, quæ forma supra omnes alias satraparum nymphas excellebat, Nimirum totum matrimonij consilium erant *Genus & Venuus*. Quod vbi castissimus agi adolefcens intellexit, non tantum nuptijs, sed etiam lare, sed patre & patrimonio relictis, clam profugit. In fuga, ex æstu, diuertit in pauperis cuiusdam senecionis ædiculam. Ibi, præ foribus, sedebat ad colum virgo senis vnica gnata, quæ summis digitis fila deducens fusum torserat, atque cantando laborem, diuinis laudibus celebrandis, solabatur. Erat autem carmen, quo Numini, pro beneficijs, gratiæ agebantur. Hoc in tali loco argumentum admiratus iuuenis ait: *Quodnam est istud tuum, o Virgo, studium? aut cuius rei gratia, adeo inops, quasi pro magnis diuitijs, laudas verum Condurorem?* Cui illa: *Nescis, ait, o hospes, quisquis es, quemadmodum exigua sepe medicina magnos pellit morbos; ita etiam, in paruis Dei donis, gratiarum actionem magnorum fieri auctricem bonorum?* Ego quidem filia sum senis pauperis, gratias tamen refero, pro modicis istius donis, & benedico Dominum, certa, quoniam qui hæc contulit, & maiora valet dare: & ista quidem de his, quæ extrinsecus sunt, &